

250. Restitutio bonorum.

Decet munificenciam regie maiestatis fidelium suorum devocionem attendere et eorum servicia condignis retributionibus compensare. Eapropter nosse volumus universos tam posteros quam presentes, quod nos grata que dilectus fi(delis) n(oster) t(alis) nobis et imperio gratanter impendit obsequia et adhuc impendere poterit graciosam graciosius attendentes et proinde cupientes eidem munus impendere favoris et gracie specialis, vineam t(alem), quam t(ali) cum ceteris bonis suis propter indevocionis sue proterviam sentencialiter abiudicavimus et nobis attraximus, prefato t(ali) donamus simpliciter proprietatis titulo perpetuo possidentiam. Dantes eidem plenam et liberam potestatem, predictam vineam commutandi, vendendi vel ad usus quoscunque pro suo libito tamquam propriam ampicandi. In cuius donacionis.

260.¹

Si universa et singula, que indevocionis vestre protervia nostre celsitudinis auribus sunt impressa, veritatem omnimodam continerent, re vera ex hiis largam et amplam vobis graviter indignandi materiam haberemus et pro tantis excessibus, si verum includerent, gravis correctio merito vos maneret, si non vener(abilis) t(alis) episcopi et rel(igio-sorum) virorum fratrum t(alium) frequens instantia et instans frequentia in hoc animi nostri motum aliquantulum iniugassent. Quapropter prefatorum et episcopi et fratrum tracti consiliis et precibus exhortati conceptam contra vos huiusmodi indignacionis materiam vobis ex corde dimittimus et de commissis huiusmodi si qua fuerint vobis veniam indulgemus, dummodo tamen iuxta eiusdem principis nostri consilium favori et gracie nostre restitui et regalibus beneplacitis conformari finaliter affectetis.

263. Receptio familiaris².

Fidei tue sinceritas fulgidis virtutum fulgoribus illustrata, que erga nos et sacrum Romanum imperium clarius elucescit, necnon sapientie tue profunditas et sciencie altitudo, que ex predicabilis fame tue prestancia per totum orbem insonuit, quadam allectiva dulcedine nos inducunt, ut te nostris familiaribus amplexibus adiungamus. Ut igitur sincerus affectus huiusmodi, quo te pleno favore am-

1) Vgl. T 259, Reg. imp. VI, 1042.

2) Gedruckt 'Constitutiones' III, 89 n. 99.